20. 8bre 1762. M. Henckel

Observatio

De vulnere ictu globorum Pillularum minimorum plumbeorum arum inflicto, quo ductus Stenoni lacerus, pars glandulae parotideae, Musculus masseter dictus, et subjacens maxilla inferior disrupta et contrita fuit.

La deux f

Postquam Sanatio vulneris spatio bimestri feliciter absoluta esset, Academ. Chir. Paris. me Tomo tertio Observationum suarum doctissimorum tanquam munere aliquo ornavit, quo in libro elegantissime conscripto, inter alia themata praecipue doctae Observationes de hoc malo ejusque effectibus mihi occurrunt. Authores harum observationum sunt celeberrimi illi non minus ac gravissimi Chirurgi Paris. Dr. de Morand et Dr. Louis una cum Dno Duphenix, qui fato suo jam functus est. Hi sane merentur quia loco allegato pag. 431. etc. accurata mente perlegantur, suntque iidem qui me impellunt ut Observationem praesentem in lucem mittam. Virgo juvenis et mentis alacritate et jucunditate

prædita in Illustri quadam domo ab uno amicorum suorum antea inexspectato modo infelicissimo vulnerabatur. Amicus ille Sclopetum arripit, ante aliquod tempus jam pillulis plumbeis bene oneratum, quo nimirum aves in horto conspiciendas interficere vellet. Sed immemor Sclopeti jamjam onerati, dextro illud brachio committit, sinistra simul manu draconem interdit, et tali modo periculum facit, num Scintilla vel ignem excitare queat. Sclopeto ita agitato emittebantur glandes in Virginem, quæ non nisi trium passuum spatio à loco soluti Sclopeti remota esset. Supra dictæ partes, simul etiam par digitorum manus dextræ, quos nimirum digitos malæ hujus lateris imposuerat, ab ictu lædebantur. Una enim læsione partium præditarum tota regio genæ et auris in dextro latere pillulis plumbeis tacta fuit, ubi vel plures vel minor numerus pillularum alte hærebat. Haud exiguus numerus earundem ad superiora vergens usque in os jugale et os frontis ejusdem lateris penetraverat. Læsa Virgo quasi mortua jacebat, ~~Medicus~~ Chirurgus accersitus sine mora ligabat vulnus, venam se

cabat, et ut medicus huic domui adspretus advocaretur
rogabat. ~~Iste,~~ Cum ~~[illegible]~~ hujus copia illico non esset, meum
implorabatur auxilium. Sub adventum meum simul
Medicus Ordinarius aderat, quocum singula scrutabar,
iisdem vero exploratis et oculari inspectione instituta, me
dicamentis utebamur nitrosis, anodynis, subacidis at
que diluentibus, debitumque huic medelae regimen jun
gebamus, partibus vero externis unguento Basilico
cum oleo Amygdal. dulc. permixto succurrebatur, quin
et cataplasmate emolliente atque anodyno, ut suppuratio
vulneris tanto citius excitaretur. Aegra corripiebatur à
febri, saevisque cruciatibus angebatur, à quibus nimirum
haud immunis esse poterat, si modo in disruptionem par
tis durae nervi acustici, quem pedem anserinum dici
mus, et reliqua oculus animi advertatur. interim tamen
singula haec symptomata mox evanuerunt. Pergebatur
modo instituto in adhibendo medicamine antedicto
victusque moderamen tradebatur, quo facto suppu
ratio statim sequebatur. Ita vulnus reddebatur pu
rum, pillularum plumbearum à pulvere immissa
rum copia, cum lino ac ossium frustis extrahebatur
pari modo quoque granorum pulveris et pillula plumbea in
partibus vicinis haerentes tradebantur cataplasmate non amplius
utebar, maxilla fracta imponebatur essentia Myr

ta ope plumaceoli oblongi, quem galli bourdonnet dicunt, vulnus ipsum unguento basilicon tingebatur ope plumaceoli, et superimponebatur eidem vulneri splenium, quod vulnus tegeret, quæ singula post modum fascia, funda maxillaris dicta, deligabantur. grana plumbea à denudato osse frontis et osse jugali excidebant, vulnera hæc sine omni exfoliatione ossium sanabantur; è maxilla tandem partis ossium exfoliatio, simul et grana plumbea nonnulla extrahebat. Jam sanatio vulneris voto respondebat, vulnera minora claudebantur, majus vero vulnus decrescebat; cum vero et huic vulneri disrupta glandula parotis includeretur, quædam vasa aperta manebant per quæ saliva copia ingens effundebatur, quæ tamen nihilosecius licet lento gradu sanabantur. Quam maxime vero saliva è vulnere postremum aperto effluebat, ubi ductus stenonianus penitus disruptus erat, ita ut saliva magis ad ipsum vulnus inde accedere posset. Pars illa hujus ductus, quæ supererat, plane occulta manebat ac nullo modo cognosci poterat. Remanebat hinc fistula quædam salivalis, ex qua inter loquendum et manducandum ingens copia salivæ emanabat. Quanta perturbatio animi virginem hanc menti

aliquin alacritate praeditam, eo vero modo ex cruciatam, compareret, facile quisquis conjicere valet. Quantopere nitebar et huic mederi malo, impediebar eo tamen, quo minus desiderium meum explere possem. Capiebam consilium adinstar fistulae lachrymalis tractare vulnus. Filum longum cera oblitum acui perforatae ad hunc actum artificiose effictae immittebatur. Haec acus per vulnus externum secundum ductum naturalem in os penetrabat, ubi cum digito Indice dextrae meae manus acum haud nimis acutam intercipiebam, eandemque iterum in interiore oris parte prehensam ex ore educebam, filo ipso in parte vulnerata adinstar setacei remanente, cujus altera extremitas vulnus externum egrediebatur, altera vero ex ore pendens conspiciebatur. Quovis die adinstar setacei in hoc opere pergebam, parvo plumaceolo, unguento basilico consperso, nec non emplastro atque splenio superimposito, cum fascia praedicta firmato, vulnus externum tegebam. Extremitas fili ex vulnere propendens sub splenio manebat, illa vero quae ex ore pendebat, partim externe ad latus, partim quoque interne ad latus gingivae seponebatur. Tandem ope fili parvum canaliculum plumbeum a parte exteriori vulneris inserebam

ut saliva per istud ~~et~~ in os derivaretur. Verum cum mihi jam persvasum haberem, his ita peractis intentum operis finem secuturum esse, subito vulnus externum in deteriorem abibat statum, cujus mali causa binæ pillulæ plumbeæ erant, quæ non rotundæ sed ad modum planæ atque tenues factæ fuerant. Has credo ab osse tales effectas fuisse, et intervallo tertiæ anni partis in osse firmiter hæsisse. Interim tamen simulac et istæ exciderant, melior evadebat status ægrotæ usque adeo, ut mecum constituerem canaliculum illum paulatim ori admovere propius et tandem illum extrahere. Eundem cum filo processum instituebam, quo facto vulnus externum illico claudebatur, sanabatur atque saliva per hunc ductum recentem versus os derivabatur, cumque hæc instituta methodus sortiebatur effectum, ut et moeror atque tristitia Virginis hujus animosæ tolleretur, et ex toto eadem convalesceret.

Prædictas posteriores planas tenuesque pillulas plumbeas procul dubio os tam diu tenuit; hinc quæritur, num os ipsum exinde non aliquid mali passum fuerit? Ad hoc usque tempus annum nihil inde damni apparuit. Cum ultimam ægrotanti Virgini medelam ferrem, necesse erat, ut illa in lecto lateri

illa se incumberat, quo ductui salivæ in os derivando
prospiciuntur; non attentis aliis negotii circumstan-
tiis ad hunc actum pertinentibus, quales v. g. 5
sunt ~~mutatio~~ situs canaliculi commodus, ita nimirum
ut versus os deorsum teneatur, ejusdemque canaliculi
mutationes, etc. quæ singula pro qualitate circum
stantiarum obvenientium Medici ingenium or- 3
dinabit, quoniam in genere nihil certi de tali 5
opere affirmare licet. Addam adhuc, quod os Vir-
ginis non ex toto aperiri queat, cujus præcipuam 5
causam esse existimo, quod Musculus Masseter adeo dis-
ruptus ~~fit~~ fuerit, ut in illius anteriori parte parum super- 5
sit, quod eandem disruptionem non expertum fuerit. 3
attamen et hoc malum nihil detrimenti eidem Vir-
gini inferre valet. Vasa sanguifera cum tertio ramo 5
quinti pari nervorum, maxillæ inferiori proximo,
statim ab initio in maxilla sine dubio disrupta
fuere, de quo tamen nulla Symptomata apparuerunt.
Nonnulla Symptomata hic adducere plane nolui, ne ni-
mis prolixus in oratione fuisse videar. Siquidem 3
unusquisque, qui artem hanc novit, statim intelligit
eadem fuisse necessaria et accidere debuisse.

v. g. quod os ægrotæ in principio morbi parum aperiri potuerit, quapropter omne id quod ori ingerendum esset, parvo fiebat cochleari. Porro etiam canaliculus ultimus in mutatione crassiorem formam nanciscebatur, ~~eo quod~~ ut vi hac artificiosa eo durior redderetur, et aperta maneret; nam et hoc loco dictum illud valet: Fistulam curare per fistulam